


IV, 69

V c  
2745



IV, 69.















Carmen Heroicum  
DE BEATA  
MIGRATIONE EX  
HAC VITA IN COELVM

FORTISS. HEROIS D. D.

MAVRICII ELECT. & C. DV-

CIS SAXONIAE,

RECITATVM V. IDVS IVLII

A Iacobo Strasburgo.

VIVIT POST EV-




NERA VIRTVS.

LIPSIÆ.

ANNO M. D. LXIII.

IN OFFICINA VOEGELIANA.



# ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

Augusto, Duci Saxoniae, Landgrafio Du-

ringiae, Marchioni Misniae, & Burg-

grauio Magdeburgensi, Pr. Elect.

&c. Domino suo cle-

mentissimo

S. D.

**A**Rimnestum quendam, cuius grauiſſima dicta Stobæus vir accurate diligens & eximie pius, in libris reſte Suida ad filium Epimi-um ſcriptis, aliquoties citat, interrogatum ab amicis, quæ maxima hominis bona eſſent, bene ac honeſte mori, aiunt reſpondiſſe. Etli autem virile ſit hoc & ſapiens reſponſum viri extra ſcholam Chriſtianam educati, tamen in illa naturæ infirmitate homines, cum humana præſidia vel deſerunt omnia, vel ab omnibus deſeruntur, in eo iam morituri nequeunt reſpirare. Nam in hoc vltimo ætatis curriculo quid re-cte fieri debeat, quid poſſit laudabiliter, argute quidem homo Philoſophus & ſcite proponit, ſed neq; veram neq; ſolidam ijs affert conſolationem, qui vel ſpiritum naturæ reddunt, vel vitam, quæ fato debetur, pro ſalute patriæ fortiter profundunt. Ego, inquit quidam apud Euripidem, minime mollis aut effœminatus, illos qui bene mortui ſunt, potius viuere dixerim, quam eos qui viuunt inhoneſte. Certa ſunt hæc, & eorum ſuffragiis iam pridem confirmata, qui offenſione turpitudinis & comprobatione honeſtatis permoti, ex omnibus præmiis virtutis, ampliffimum eſſe præmium, gloriam iudicarunt. Nam hæc externorum bonorum dignitas

dignitas magna certe est, & recte extollitur, cum tenebris opponuntur umbræ, & noctis obscuritas cum crepusculi sublucentis caligine comparatur: Sed quid est aliud illa illustris & peruagata in omnes terras de alicuius recte factis opinio, si cum æternis bonis, quæ vere bona sunt, conferatur: nisi adumbrata vanitatis imago, spectrumque modo apparens, modo euanesens, & olim cum hæc mundi machina defuerit, prorsus desitutum? Nam is qui in laude uiuit & laudabiliter moritur inter homines, nisi ad hæc ornamenta externæ disciplinæ, interna veræ pietatis exercitia coram deo adiungat: frustra humanam captat gloriam, cum animæ perdendæ nullum auertat periculum. Eum igitur & præclare uixisse et sancte mortuum, ideoque laudandum esse iudicamus, qui præeunte fide in agnitione Dei omnes suas curas ad hunc quasi scopum direxit, ut in uita sua vitam Iesu Christi, similitudine actionum, quarum imitatio diuinitus nobis mandata est, accurate exprimat, & in morte, mortem sibi applicet cum meritis illius ac beneficijs uniuersis. Sed hic obstrepunt nobis ineptiæ quædam aniles eorum qui dicunt, mori pie & sancte esse quidem salutare, sed mori ante tempus, miserum esse atque ærumnosum. Si tempus intelligunt, quod est naturæ, eam frustra incusant, quæ usuram uitæ non dominium concessit, & commorandi diuersorium nobis non habitandi dedit: Si uero casu quosdam ex conspectu suorum maturius subtrahi arbitrantur, indulgeant sane suis delirijs arguti nugatores, modo Deum a rerum guber-

gubernatione non remoueant, qui omnes pilos  
capitis nostri numerat, & sine cuius voluntate  
in terram cadit ne quidem passerculus, auicu-  
larum, quas hic aer fouet, omnium abiectissi-  
ma. Quamcunq; igitur habeat vim carnis, &  
animæ dulce consortium, profecto beati sunt  
qui in hac rerum omnium confusione inter tot  
monstra opinionum spem vitæ æternæ reti-  
nent: beatiores illi, qui vel corporis afflicti, vel  
senij ingrauescentis ægritudine, morti propio-  
res ultimum miseriarum quali terminum præ-  
uidentes expectant: omnium beatissimi sunt,  
qui in ardentissima fide & inuocatione filij dei  
hanc uitam mortalem cum immortalis com-  
mutarunt, propterea quod peccandi periculis  
liberati, in non peccandi securitatem sint con-  
stituti, ut præclare inquit Cyprianus. A cuius  
beatissimi cœtus sempiterna conuersatione,  
nulla unquam inuidorum improbitas, nulla  
improborum maledicentia illustrissimum &  
fortissimum principem Mauricium separabit,  
qui cum maximis laboribus maxima bella  
gessisset, ut laudabilem quasi appendicem rebus  
præclare gestis adderet, halitum uitæ extremum  
generosus heros patriæ potius donare quam  
reseruare naturæ uoluit. Qua autem pietate  
& fidei religiosa constantia migrauerit ex his  
terris in cœlum, testes locupletes sunt nobilissi-  
mi & grauissimi uiri, qui in acerrima pugna,  
uiolenti conflictus pericula sustinuerunt, &  
post infelicem funesti prælij euentum in castris  
sanctissimæ mortis fuerunt spectatores, cuius  
anniuersaria memoria cum hoc anno uertente

esset celebranda, ego iussu Magnifici viri D.  
Rectoris Academiae nostrae hunc suscepi labo-  
rem & versibus heroicis agonis fere triduan  
victoriam & obitum magnanimi ducis, si non  
splendide, tamen vere compræhendi. Quæ cum  
diuulganda exprimendo viderentur, non de-  
bui nulli neque alteri, vel tutelam vel patroci-  
nium illorum committere, quam tuæ princeps  
illustrissime Auguste, clementiæ. Hanc vt filius  
Dei quam diutissime seruet incolumem omnes  
Scholæ atque Ecclesiæ tuæ ditionis votis ar-  
dentissimis mecum exoptant. Amen.

Lipsiæ. V. Idus Iulij Anno saluti-  
feri partus M. D. LXIIII.

ILLVSTRISS. CLEMEN. T.

SVBIECTISS:

Jacobus Strasburgus.

OBITVS D. D. MAVR-  
RICII ELECT. D. SAX.

**D** Escribunt veteres heroum bella poëta,  
Et laudant alios alij, sua quæque voluptas  
Et noua cura trahit, nemo sine vate trophæum  
Fixit, ab exuto nemo tulit hoste triumphum  
Illustris nullo laudum præcone suarum.

**O** quoties aliquis vitam cum sanguine fudit,  
Et iam procumbens sub captis victima muris  
Pro patria moriens, terram pius ore momordit,  
Ut quondam grati memorent ea fata nepotes.  
Nocturnis alius curis operisque diurnis  
Anxius, ingenium cerebro sudante per omnes  
Extrudit venas, diuinæ habitacula partis  
Spirituum exiccans fontem, preciumque laboris  
Exiguum ingentis, fame solatia captat.

Sic describendis & agendis rebus, utrinque  
Conatu magno dux belli & carminis autor  
Desudat, quamuis aliquid memorabile dici  
Quàm fieri leuius possit, cum pondera factis  
Quàm verbis insint maiora, nec Hectoras olim  
Troia tot egregios, aut fortes misit Achilles  
Græcia, quot vates, vatum pater ipse reliquit  
Meonides, quibus illa sequi vestigia curæ est,  
Et quos Priamides, ac Pelias hasta fatigat,  
Laudari quoties cupiunt, laudare parati.

Sint modo qui recte faciant, meritisque laborent  
Vincere, qui profugos homines ingentibus ausis

In sua restituant, & erunt qui carmine semper  
Victuro, memori transscribent omnia fama.  
Donec erit virtus laudi, laudabitur heros  
Amphitryoniades, clava spoliog, leonis  
Inclitus, & cuius, terras odiumque nouerca  
Facta repleuerunt, quæ cum defessa iubendo  
Cederet, ille tamen fuit indefessus agendo.  
Nulla iacet regio, quam non terraq, mariq,  
Attigit, Alcides, oppressis regna tyrannis  
Asseruit, caesoq, dedit loca tuta latronum  
Agmine, presidium rebus commune iuuandis.  
Forma triplex Stygij canis, & pastoris Iberi  
Nobile, trigeminū caput est, Stymphalides undæ,  
Busiris violans humano templa cruore,  
Partheniumq, nemus, Lernæis hydra lacunis  
Exitio foecunda suo, Cacusq, tremendum  
Hospitibus miseris Tiberino in littore monstrum,  
Herculeæ laudis dedit argumenta poëtis.  
Gloria vile bonum non est, si fluxa caducis  
Conferimus. Quoties tenebris opponimus umbras,  
Auroram obscuræ vel prima crepuscula nocti,  
Nec totas tenebras, solidam nec habentia lucem :  
Nil melius virtute, nihil sublimius arte,  
Nomine nil maius, quod rodere fama veretur.  
Quid tamen hoc præstat, quid profunt illa sepultis,  
Alterius vitæ si spem simul atque cadauer  
Mors tulit, urna tenet? Certe durabile non est  
Gloriolæ spectrum, mundi sapientia friget  
Æternis collata bonis, adducta tribunal  
Ante Dei rigidum virtus humana laborat.

Quid



Quid nunc Alcides, terrarūq; marisq; superans  
 Ille triumphator, quo sine nouissimus agrum  
 Terminus abripuit, quæ spes lethale venenum,  
 Quod dederat coniunx velut irritamen amoris,  
 Leniit? Oetæo nebulosam monte querelis  
 Impleuit siluam, flammisq; crepantibus artus  
 Mortales dedit, & deus immortalis haberi  
 Sperauit, falsa qui religione trecentos  
 Credidit esse deos: qui non mysteria norat  
 Abdita, maiestas cui trina, sed una potestas  
 Numinis, aut iram fuit aut motura cachinnum.  
 Multa tulit, meritisq; nouum sibi condidit orbem,  
 Sæpe famem passusq; sitim, sudauit & alsit,  
 Iusticiæ studio, laudisq; cupidine motus.  
 Vir fuit excellens, fateor. Si turpia rectis,  
 Si iustis iniusta, bonis mala, falsaq; veris  
 Opponas, longè superat Tirynthius heros  
 Busirin, Theseus Scinin infamemq; Procrusten.  
 Si verò instituas diuinæ examina legis,  
 Si tacitos lapsus, idolorumq; furores  
 Exagites, vix vlla dari discrimina fas est.  
Quod purū est nostris oculis, quod mūdus honorat,  
Ante Deum sordet, nec habet placabile cœlum.  
 Marmoreo veluti speciosa nitore sepulchra  
 Apparent, intus conclusa cadauera seruant  
 Putrida, vermiculis escam, serpentibus ortum,  
 Ex illo, afflauit quod vipera prima, veneno:  
 Sic homines foris innocui, vultuq; superbo  
 Virtutem simulant, intus carnalia viuunt.  
 Vnde doli, lites, occulta libido nocendi,

A S

Vnde

Vnde malum, Stygijs quo non sese extulit oris  
Peius, amans rixæ, stipata calumnia nugis,  
Insidiosa, minax, alieno leta dolore.

I nunc, virtutem verbis extolle, Deumq;  
Incusa, quoties absolui fortè latronem,  
Damnari Caiphan audis, legumq; peritos,  
Vna salus homini, nullam sperare salutem  
In probitate sua. Virtus hæc sola beatum  
Reddit & acceptum, quam non fiducia vexat  
Cæca sui, quæ nixa fide, quæ freta triumphis  
Victoris Christi, caput obiectare periculis  
Audeat, & iustis pia bella sequatur in armis:  
Quorum finis erit, miseris aut parcere victis,  
Aut tumidos hostes & debellare superbos.

Talis erat, talis pietas & Martia virtus  
In duce Mauricio, quem funere mersit acerbo  
Improba funestum quatiens Bellona flagellum.  
Heu lucem, nec iam lucem, qua nobile lumen  
Extingui, & patriam tenebris involuere cœpit.  
Hic vir hic aduentu longinqua binominis Istræ  
Flumina, Riphæos montes, populosq; niuosum  
Potantes Tanain, lunatisq; agmina peltis  
Terruit, & Geticas tepefecit cæde sarissas.  
O miseranda dies & deploranda vel hosti,  
Quæ nunc undecimo funesta reuoluitur anno,  
Et memor amissi decoris luctusq; futuri  
Admonitrix, ventura docet, præsentia monstrat  
Damna, nec in priscis annalibus vlla notatur  
Durior, aut patrijs crudelior hora colonis.

Pandite nunc mœstum tristes Heliconæ puellæ

Pro

Pro Clarijs undis, vestras precor addite nostris  
Nunc lachrymas, gemitus vestros, suspiria vestra.  
Gloria nulla mihi, sed queritur una voluptas  
Humectare genas, querulisq; implere dolorem.  
Vocibus, &, nequeam si mentes, saxa mouere.  
Nam postquã cecidit septemuir & inclitus heros  
Mauricius princeps, nil restat amabile vobis:  
Mundi delitias omnes, mors illa lepores  
Abstulit ex vestro, qui nunc iacet aridus, horto.  
Hinc tu, magnificum titulis & honore supremum  
Qui geris officium, quem ripa sonantis Elistri  
Excipit auspicijs letis, totumq; salutat,  
Aurea submittens venienti sceptrum, Lyceum,  
Victorine nouem decus & tutela sororum:  
Tu quos mandasti conatibus annue nostris.  
Rege bono populus mitescit, amica voluntas  
Principis, obsequiũ trahit & vaga pectora vulgi.  
His etiam votis, nostri noua gloria cœtus  
Heroum soboles, patriæ spes unica gentis  
Constantine faue, roseo cui spirat ab ore  
Gratia diuinum generose mentis honorem.  
Qui mores studijs ornas, & moribus artes,  
Illustremq; refers virtutis imagine patrem.  
Quo nihil in dubijs bellax Lithuania rebus,  
Nil habet excepto nunc magna Polonia rege  
Carpathias quã fundit aquas pater Istula, maius.  
Vos quoque Musarum partim solatia, partim  
Cura, viri meritis celebres, pietate probati,  
Doctrina insignes: studijsq; dicata inuentus,  
Sen te nobilitant antique stemmata gentis,

Sine

Sive tuis famam titulis dedit inclita virtus,  
Seu te matura spes indolis alta reseruat,  
Attentas nostris aures adhibete querelis.  
Non hoc præmittam toties audita theatro  
Bella domi confecta, foris tentata, nec ingens  
Sanguinis eximij genus, & celebrata parentum  
Nomina, quæ priscos commendant omnia reges.  
Qualis Alexander, cuius deducit Olympo  
Fabula progeniem, cuius victricibus armis  
Succumbens totus terrarum paruit orbis.  
Hæc bona fortunæ possunt, quia magna putantur,  
Laudari: sed cùm desertos illa relinquit,  
Hæc simul intereunt, nec habent abeuntia certos  
Ad dominũ reditus. Qui perdidit, omnibus errat  
Ludibrium. si quis vivit felicius illo,  
Vincit & hostiles insultus: vincitur annis,  
Et tandem exuitur moriens splendore caduco.  
Quid nostros igitur priscis heroibus æquat,  
Si nitor in proavis cessat, si pace vel armis  
Gloria parta, satis longos non durat in annos?  
Cor veri iustique tenax, mens conscia recti,  
Mors pia, respiciens ad solum credula Christum,  
Spem contra fidens in spem, mortalibus ægris  
Præsidia hæc vitæ duo sunt, duo pharmaca lethi.  
Cetera prætereunt, & quæ capit ambitus orbis  
Temporibus sese mutant, annisq; senescunt:  
Hæc tantum solide durant insignia laudis,  
Quam non incertæ fraudes, quam nulla vetustas,  
Nulla secuturo violentia supprimit ævo.  
Nunc igitur si vestra meas patientia Musas

Ferre

Ferre potest, sanctæ si non encomia mortis  
 Mortales verbis offendunt mollibus aures:  
 Heroem referam, qui Saxona regna potenti  
 Imperio rexit, factis ingentibus auxit,  
 Quem tollit pietas, & quæ pietatis alumna est,  
 In Christum sincera fides ex morte renasci  
 Iussit, & ætherea victurum in sede locavit.  
 Propositi caput est & nostri summa laboris,  
 Hic pius & felix angusti terminus æui  
 Quo velut exiguo virtus sub limite, tanti  
 Intercepta viri, florentibus occidit annis.  
 Dicere Mauricius solitus fuit: Ille meretur  
 Laudari, pulchrè qui desinit, & bene cœpit.  
 Laudetur, nomenq; ferat memorabile, vocis  
 Autor & interpres, sciat hûc gens prisca nepotû.  
Principio finis nam conuenit, ultima primis  
Respondent, sanctè moritur, qui vixit honestè.  
 Historia seriem non vulgi murmur inertis,  
 Nec dabit ambiguis quæ crescit fama susurris:  
 Hi narrent, serosq; ferant hæc fata per annos,  
 Qui tunc in castris, spectatoresq; fuerunt.  
 Quos inter, vita grauis & venerabilis æuo,  
 Iohannes sacris præstans Albinus, & armis,  
 Tam fidens animi, quàm religione probatus,  
 Mœroris pars prima fuit, cui maxima rerum  
 Verborumq; fides, neque fallax ille repertus  
 Antè, sed hunc verè voluit memorare dolorem.  
 Ille infelicis belli fera castra secutus,  
 Mauricio, cum iam mediam ictu saucius aluû,  
 Impatiens mundi, vitæ satur, anxia morbo

Lumi-

Lumina suspirans ad coelum sustulit altum,  
 Astitit, ille animæ medicus fugientis in auras,  
 Ex scriptis verboq; Dei solatia dixit  
 Infirmo, magnisq; tulit medicamina curis.  
 Tu mihi iuste senex, cuius sine crimine mores  
 Commissiq; fuit sine labe professio verbi,  
 Testis eris, tecumq; alij, quibus aspera Martis  
 Pugna, reseruatis ad publica damna, pepercit.  
 Arx antiqua iacet, seu casu, siue latentis  
 Consilio fati, quia non caret omine verbum,  
 Peina, secuturi uel nomen adepta doloris,  
 Vel poenæ, lesi quam numinis alta potestas  
 Serius ad nostros ( ò tempora dura ) nepotes  
 Distulit. Hanc propter, salicū nemus inter opacū  
 Muscoso ripam tenuem Linus alluit amne,  
 Et veteres celebri meminit de stirpe colonos  
 Nunc Angriuarios animis belloq; feroces.  
 Non hic anguste fauces, aditusq; maligni,  
 Planicies sed aperta iacet, campiq; patentes.  
 Cingit utrunq; latus pinu nigra silua frequenti,  
 Præbet & armorum fraudes, tutiq; receptus  
 Effugia, & circà volucrum genus omne salutat  
 Manè viatores, & lumina solis adorat.  
 Hic locus aduersas aduerso Marte cohortes  
 Accepit primū, florentes ære cateruas  
 Et turmas equitum: belli noua caussa gerendi  
 Mauricium impulerat, patrie pia cura tuenda.  
 Viderat euersas vrbes, & collibus arces  
 Impositas Mœnus, ferro quas efferus hostis  
 Eruerat, ferroq; nocens magis hauserat ignis.

Fata

Fata propinquabant ad nostros illa penates,  
Et fors an peiora, ruit cum Martius Heros  
Pro dulci patria, & sese moriturus in hostes  
Coniiciens medios, ingenti stragis acervo  
Infames inhonesta fuga dare terga coegit.  
Iam feruens ira, successu letus inani  
Gaudebat, glans missa cauis cum ferrea cannis  
Lorica triplices nexus, tunicaque rigentis  
Nigranti cre moras, valido transuerberat ictu,  
Ventreque transfixo, turgentis rumpit obesum  
Vesica, sacrumque alte bibit acta cruorem.  
Incertum, qua pulsa manu, quo turbine iacta,  
Nec se Mauricij iactavit vulnere quisquam.  
Victor & ictus erat belli dux hoste fugato,  
Moerentes satrapae castris statuere cruentum,  
Alternò corpus librantem debile gressu.  
Sevit & opprimitur lesa globus igneus aluo,  
Egressumque petit facilem, cum iussus adesset  
Multa manu medica Phœbiique salubribus herbis  
Chirurgus frustra trepidans, ferrique latebram  
Rescindens, digitis aperit vestigia summis.  
Et modò sollicitat dextra, modò forcipe prensat  
Vrentem seuamque luem, modò pulueris ignem  
Sedat frustillis salicum nitroque maligni,  
Spongiolaque nigros mollit siccataque cruores.  
Nulla viam fortuna regit, nihil arte ministra,  
Nil ope nature fragilis, medicina vel usus  
Proficit herbarum, superat violentia fati  
Humanas vires, & quicquid pendet ab illis.  
Quid faciat? pugnétne Deo, fremituue laceffat

Numi<sup>us</sup>

O B I T V S

Numina Mauricius? pietas, & sancta virili  
Pectore mens habitās trahit in diuersa sequentē.  
At regni disponat opes, & cetera curet,  
Siqua putet rectē fieri postrema vo' intas:  
Mundi delicias irritamenta dolorum  
Cogitet, & fluxis fidat rebusq; caducis?  
Sed pius his minime curis inuoluitur heros,  
Nulla minus trepidum facit & sententia vexat,  
Quam spes incertæ, tutisq; potentia fatis  
Nescia stare diu. Postquam furor altus inhaesit  
Vulneris, & vires membris solitumq; vigorem  
Abstulit, astantes dictis affatur amicis:  
Spes vitæ fragilis (cuius mihi parua voluptas)  
Nulla mihi superest, vulnus lethale videtis,  
Scitis & humanis quæ sit fiducia rebus:  
Ite, sacerdotem notis educite castris,  
Arcanos tutò cui possim credere sensus,  
Et vitæ lapsus delictaq; cuncta fateri  
Ante Deum, veniæ cupidus fidensq; salutis.  
Vix ubi finierat, proceres per lata volutant  
Atria suspensos gemitus, & voce fatigant  
Sidera, cæde truces implent singultibus agros.  
Nunc execrantur diri commercia belli,  
Nunc hostē infidū, nunc fœdera rupta queruntur.  
Nec mora, (q; d facerēt aliud?) pars limine primo  
Vestibulum seruat, pars mœsta cubilia circum  
Mollibus obsequijs nil proficientia flentes  
Officia expediunt, amor ardet in omnibus idem  
Seruandi dominum, veluti cū tempore veris  
Sub cœlo miscentur apes, iniuria regem

Siqua



Siqua premit, densa coeunt, & spicula rostris  
Exacuunt, hostemq; vocant, camposq; laceffunt.  
Interea celerans gressum pietate senili  
Iussus adest, & iam tentoria principis intrat  
Albinus, flexoq; genu, lachrymisq; subortis  
Multa gemens, tandem trepidantia sustulit ora:  
Quis dolus, aut quae te princeps fortissime tantis  
Implicuit fortuna malis? tua vulnera postquam  
Cognoui, iuro, similem mihi nulla dolorem  
Fama, nec ad trepidas hunc nuncius attulit aures  
Tristior, ipse Deum, qui cernit in abdita, testor:  
Sed diuina trahit quo nos retrahitq; voluntas,  
Ire decet, iam certa sequi nos fata necesse est,  
Et Christi, titulum qui nominis huius habemus,  
Ferre crucem fas est, quot in hac alterna renati  
Foedera iuramus, cum sacra tingimur unda,  
Sanguine mundi eius, mundum qui morte redemit.  
Hec ubi fatus erat veneranda voce sacerdos,  
Auribus arrectis, luctum alto corde prementes  
Astabant proceres, & quem responsa daturum  
Credere vix poterant, ex stratis tollere corpus  
Mauricius potuit, dextramq; tetendit inermem.  
Dira lues acuit morbum, patientia nullis  
Victa malis superat, prior & spem fronte serenat  
Dux, referens vultu suppressi signa doloris,  
Porrectaq; manu placido mystem ore salutat:  
Opportune senex, cui caelum claudere, clausum  
Cui reserare dedit, melioris conditor aui  
Christus, & haec verbo durat munita potestas.  
Siquis peccati furtum molitus inane,

In seram differt occulta piacula mortem?  
Huic retinere potes culpam culpæq; reatum.  
Contritis animis peccata remittere iussit,  
Qui pro peccatis mundi fuit hostia factus.  
Mors est certa mihi, neq; sera, sed hora propinquat  
Ultima, vos mundi spes & fortuna valete.  
Sum miser, & fœdæ cruciant mea pectora sordes,  
Quicquid in humana dominatur carne malorum  
Id sum passus homo, primæ contagia culpæ  
Materiam fontis vitæ mortisq; dederunt.  
Aut ego succumbam, minus aut sit durus oportet  
Mite Deus numen, nec crimina nostra rigorem  
Iudicis admittunt, referens horresco tremoq;  
Ni bonus ipse suam flectat moderantius iram.  
Sed quæcunq; meum nunc auget caussa timorem,  
Hanc Christus, mundi precium nō vile redempti,  
Abstulit: hunc habeam, satis est, ut cetera desint.  
O mihi præteriti redeat modo terminus æui,  
Quàm vellem tristes metuens auertere pœnas  
Exosus veteres, commissa piacula, lapsus.  
Nunc, quia quæ dederāt cursum mihi fata, peregi:  
Confiteor peccata tibi, teque illa ministro  
Per mortem Christi duram, mihi credo remitti.  
Dixerat hæc princeps, & iam suspiria magno  
Deducens gemitu, fidei surgentis in altum  
Rebus in aduersis, flammæ accepit Olympo.  
Iam noua vis maiorq; Deus præcordia tangit,  
Iam se mens aperit, trepidiq; angustia cordis  
Dilatat tenues contracto in pectore fibras.  
Ipse senex etiam sancti mysteria verbi

Perficit,

Perficit, & letæ iucundus præco salutis  
 Imposita dextra, mandantis nomine Christi  
 Peccatis veniam, quam dux pius ante poposcit,  
 Nunciat, & viuis solatia vocibus addit.  
 Ac super his arcana monens, quib. indiga forsân  
 Patria. Continuo reliquis secedere iussis,  
 Ex satrapis uni, cuius prudentia nota  
 Et spectata fides, hæc ipsa negocia mandat,  
 Signanda in cartas studio properante fideles.  
 Ille manu propria tremulam ter ad ima lituram  
 Duxit, & impressit vestigia nota verendi  
 Nominis: accepit custodia publica testes  
 Postremæ tabulas & hæc suffragia mentis.  
 Bis lucem obscuro pepulere crepuscula Phœbo  
 Sera, bis inuitos suasit nox humida somnos,  
 Ex quo tabifici fraus improba vulneris autor  
 Attulerat tantum luctum tristemque ruinam.  
 Iamq; ferebantur medio caua sidera lapsu,  
 Et letas subitura fores prænuncia lucis  
 Tentabat, nondum tenebris aurora fugatis:  
 Ultima sacratæ Christi conuiuia cœnæ  
 Dux auide petit, & sanctis accumbere mensis  
 Gaudet in extremo crescentis agone doloris.  
 Alta fames & anhelæ sitis non corporis artus  
 Arguit exhaustos, animæ victum illa requirit,  
 Postulat hæc potum, præsentibus abdita signis  
 Sumpta fide hæc profunt, viresq; alimenta mini-  
 Hauserat ore dapes & pocula sacra tementi (stræt.  
 Magnanimus princeps, & mox leuis umbra futu-  
 Additus angelicis cum deseret ossa cateruis (rus,  
 B 2 Spiritus,

Spiritus, & sese rutilantibus inferet oris:  
 Nec mora, contemptor mundi mortisq; futura,  
 Spe diues, plenusq; Deo, sic molliter insit:  
 O reuerende senex, cuius praesentia morbi  
 Me nunc parte leuat, precor huic accede cubili  
 Nunc propius, teq; aspectu ne subtrahere nostro,  
 In Christo moriar, semel haec mihi certa voluntas:  
 Me sine viuifico tantum ne desere verbo.  
 Iam fractis si lux oculis abitura nigrescat,  
 Aut interclusis vox faucibus hereat, oro  
 Constantis fidei pete non fallacia signa,  
 Signa dabo, nutuque animum dicente fatebor.  
 Hec fatus, corpusq; thoro, dextraq; sinistram  
 Composuit, falsoq; fuit requiescere somno  
 Visus, & interdum digitis contingere lectum,  
 Comprimere & pictis pendentia fila tapetis.  
 Vix importunum, mortis simulachra, soporem  
 Ceperat, & celeri vitam pulmone secabat,  
 Nocte ubi consumpta, motis Pallantias astris  
 Purpureas ornata comas properauit ad ortum.  
 Leta salutabant redituri lumina solis  
 Mane viatori solamen dulce, volucres.  
 Iamq; recrudescens intempestiua quietis  
 Somnia perturbat dolor, & crudelis ab imo  
 Viscere progreditur: cum se per densa sacerdos  
 Agmina subuoluens, prope constitit, & simul olli  
 Contrectans manibusq; manus, & voce secutus  
 Dicentis vocem, diuini plena vigoris  
 Rettulit ex sacris docuitq; oracula libris.  
 INCLITE DVX, vitae mox accepture coronam,  
 Et

Et visure Deum, si te noua cura remordet,  
Disce pias voces, & pectore conde sub imo,  
Quas aeterna Dei soboles, quæ fallere nescit,  
Quas tibi nunc loquitur: Tanto complexus amore  
Sustinuit mundum Deus hunc, ut amabile pignus  
Traderet unigenum nobis, sua gaudia, natum:  
Ne quis ei credens aeterna morte periret,  
Sed fieret vitæ consors, nouus incola cœli.  
Aspice, quid dederit. Patrio de lumine lumen  
Effigiemq; suam, quæ corporis induit ossa,  
Mortales veniens Deus immortalis in auras,  
Dona quibus dedit hæc? mundo: cur hostib. offert?  
Nullus ut intereat: qui tanti muneris vsum  
Percipiunt? soli credentes, absque superbis  
Presidijs operum, non quod pia facta renatis,  
Sed tumidis noceat meriti fiducia vana.  
Fide Deo, Christumq; manu complectere firma,  
Ille tuæ portus vitæ est, spes ille sepulchri.  
Te quoq; ne quando trepidum subsellia turbent  
Horribiles rigidi metuentem iudicis iras,  
Accipe, quæ damnet sententia dicta nocentes,  
Quæue tegant iustos umbracula, sanguine Christi  
Illita, iurantis vocem hic meminisse necesse est:  
Viuo ego, viuo, mei si quis mysteria verbi  
Audit, & huic credit, qui me sub luminis auras  
Legatum mundo misit, solatia vitæ  
Abstulit aeternæ, nec sistitur ante tribunal,  
Sed mortem superat, lethoq; renascitur ipso.  
Pastor oues ego nosco meas, & noscor ab illis,  
Assuetis ductusq; mei, vocisq; perennem

Doque piam, nullo perituris tempore, vitam.  
Abripiet caulis non hanc violentia prædam  
Ulla meis, dedit hanc, qui res supereminet omnes,  
Ipse pater: nemo, quantumuis improbus ira,  
Ex manibus raptabit oues & ouile paternis.  
His te nunc gregibus septisq; include beatis,  
Pastoris Christi cantus & læta sequentem  
Carmina, tunc fragilis cum te iam vita relinquet  
Dux generose, feres æternæ gaudia lucis.  
Hic dolor & morbi cessant, hic funditus omnes  
Corporeæ excedunt pestes. Nunc illa ferendo  
Est superanda lues, nullum durabile damnū est.  
Sed mansura pios non est effabilis ulli  
Gloria, nec metas rerum neq; tempora nouit.  
Tolle animos, ærumna crucis quos aspera pressit:  
Fortunæ in solido melioris certa locauit  
Spes illos: mundi domus est spelunca latronum,  
Et loca Christicolis debet præbere diurna,  
Non diuturna uiris: alijs dat nemo, quod ipse  
Non habet: instabilis cū machina pendeat orbis,  
Hospitia indigenis an hunc dare certa putandum  
Finierat senior, fatis mox debitus heros (est?)  
Exceptit uerbis uerba ultima. Quis malus ardor  
Uuendi, lucis quæ tam furiosa cupido?  
Nulla fides hominum, nulla est fiducia rerum.  
Et iam suspirans iam cælo tarda moratus  
Lumina: Nunquid, ait, vitæ Deus autor, ouantem  
Accipies animã, moribundaq; membra resolues?  
Tolle moras, quid enim prodest differre paratum,  
Et me, si placeat, curis exolue laborum.

Rursus

Rursus adacta lues, & corpore morbus in agro  
Crebrescit, propiusque malum est, & fila legentes  
Ultima, maturant positura stamina Parca.  
Vos proceres, Albinus ait, tuq; inclita factis  
Nobilitas, & vos fidissima turba ministri,  
Ante Deum genibus mecum procumbite flexis,  
Ut nostri domini miseris patientia rebus  
Crescat, & in dubio sit victrix illa duello:  
Ut sit firma fides, soli parere voluntas  
Prompta Deo: seu, quod metuo, siue ipse superstes  
Pro patria rursus victos sit iturus in hostes.  
Audiit, & pietas haec est mihi grata, sed addam  
Ipse pijs votis ego verba precantia, dixit  
Mauricius, vocemque senis trepidante secutus  
Voce, Deo supplex magno clamore precari  
Coepit, & erectos ad caelum tollere vultus.  
Continuo manibus trepidos, precibusq; querelam  
Miscentes, & humi stratos per castra videres.  
Ambiguum, maior fuerit planctusne gementum,  
An vocum sonitus, lachrymis oratio, fletus  
Singultu, tremulo singultus pectore crescit.  
Iam castris fuerant & facta silentia linguis,  
Accedens iterum mystes: Sanctissime princeps,  
Vis morbi sit quanta, vides, quae vulneris, inquit,  
Ad mortem si te (quod abominor) hora vocaret  
Ultima, dic saltem, num mente resederit alta  
Nondum transactis dolor aut iniuria rebus?  
Irarum nunquid foueas animiq; latentis?  
Nil, ait, affectus mihi non natura tenaces,  
Sed motus faciles & cor placabile finxit:

Nec mihi stat vindex, odio vel saeva voluntas,  
Si qua simultatum sunt semina, sponte remitto:  
Hostibus oro meis veniam, veniae indigus ipse.  
Responsum dederat, dicturus plura, susurros  
Murmurat, et tardo lentam trahit ore loquelam.

Ingentes iterum cruciatus Parca nouabat,  
Iamque videbatur letho abruptura dolorem,  
Suffundens ori maculas, & balnea pressi  
Frigida sudoris, cum morte gelug<sub>3</sub> tementem  
Dat sine voce manum satrapis, belloq<sub>3</sub> probatis  
Nobilibus, comitesq<sub>3</sub> suos & cara salutat  
Pignora, diuerso planctu nemus omne resultat,  
Et moestis resonant tentoria lata querelis.  
Hic illos videas, contra qui tela stetero  
Aspera, nec gemitus sub vulnere signa dederunt,  
Nunc tristes, mollesq<sub>3</sub> animis, nunc corda liqueſcunt  
Fortia, nunc tremere ignaros pavor intrat in artus.

Interea nunc his, nunc votis utitur illis,  
Et desiderij solatia vana requirit,  
Iam recubans lecto, notisq<sub>3</sub> sedilibus, & iam  
Importuna petens subsellia languidus heros,  
Mollia purpureo vix tegmina presserat ostro  
Exoptat rursus, velut ante, recumbere stratis  
Mutatis toties, si forte quiescere posset.

Excipiunt manibus proceres, gratumq<sub>3</sub> ministri  
Complectuntur onus, cum se mens colligit aegro  
Undiq<sub>3</sub> in hospitio, fragilisq<sub>3</sub> exosa cataſtam  
Corporis, aetherea gaudet regione morari.  
Conatu in medio tremor ecce per ossa recurrit  
Intima, succedens pallor simul occupat ora.

Iamq<sub>3</sub>



Iamq̄ recepturi positum super ostia lecti  
 Deficiunt vires, & vox, aciesq̄ relapsis  
 Nuda supercilijs horret, cum fortè sacerdos  
 Spiritibus madidos oculos, obituq̄ labantes,  
 Et gelida venas sub fronte tumescere vidit,  
 Protinus exclamat: Deus & pater vnice rerum,  
 Hæc manibus commendo tuis spiracula vite,  
 Accipe, quã moriens animã tibi debet, & offert.  
 Tu quoque iam felix, finem experture malorum,  
 Inclite dux, fidei si te prior illa voluptas,  
Aut trahit æternæ nunc ultima cura salutis,  
 Da signum, signoq̄ animum dicente fatere.  
 Nec mora, demisit caput, & conamine magno  
 Sustulit, & visus linguam est voluisse mouere,  
 Nec potuit, presso sacer halitus auolat ore,  
 Altaq̄ diffugiens animæ comes astra petiuit,  
 In latos cervix humeros collapsa resedit,  
 Purpureus veluti cum vomere tactus adunco  
 Flos cadit, & pallens tristi languescit in agro.  
 Dicite vos altæ quercus, alniq̄ virentes,  
 Et tu Line, dolos si te meminisse putandum est,  
 Quot nati cecidere ducum, quot in æquore lato  
 Cornipedes, fortesq̄ viros asperrima Martis  
 Pugna dedit letho, diuersa per arua iacentes?  
 O locus infausti semper certaminis index,  
 Campi fumantes, & olentia sanguine prata.  
 Nunc olim veniet lustris labentibus ætas,  
 Finibus ignarus rerum cum rusticus illis  
 Hanc terram, has ripas ferro molitus acuto  
 Grandia nudatis mirabitur arma sepulchris,

Ossaq, comminuet duris squalentia rastris,  
Sint alni nude ramos, proceras bipennis  
Robora deiciat, sit deficientibus undis  
Linus, seu palus, deformet canna paludem.  
Tu quoq, purpureo tellus madefacta cruore,  
Frigida tunc letho, praestantia corpora quondam,  
Excipiens, meritam semper dabis improba poenam.  
Sint tibi perpetui soles, sine nubibus aer  
Vere nouo, diuturna sitis praeduret hiantes  
Agrorum sulcos, tibi non ros educet herbam,  
Non imber iacto producat semine florem:  
Sint tibi matura nubes in messe perennes,  
Et coelum sine luce nigrum, si copia frugum est,  
Humida tempestas molles suffocet aristas.  
Nam tu praestantes armis, duo fulmina belli,  
Et virtute pares, pulcherrima corpora, Guelphos  
Vidisti ante senem campis occumbere patrem.  
In te magnanimus ductor Leoburgius heros  
Oppetijt, pulchramq, adijt per vulnera mortem,  
In te nobilitas praestantibus inclita factis  
Occidit, infelix miserande stragis aceruus.  
In te (cur tantam potuisti ferre ruinam?)  
Mauricius cecidit, violataq, vulnere membra  
Submisit trepidasq, manus, & saucia terga.  
Victorem virtus florentibus extulit annis,  
Oppressit medio in cursu fraus improba victum,  
O tellus inuisa bonis, patiensq, malorum  
Nec tristes exosa dolos, o perfida rura.  
Tu coelum, infames undam diffunde per agros,  
Has ignominias, hoc nostrum dedecus aufer,

Ablue

*Ablue suffuso dispersos umbre cruores.  
Hoc erat hoc certe, si mens non leua fuisset  
Armorum sonitus trepido simulatus Olympo,  
Armati in caelo pedites, equitumq; cohortes,  
Obuia per raras vexilla volantia nubes,  
Fulgura, quæ toties fuerant Ioue dira sereno,  
Aut quæ terrebant brumale tonitrua frigus.  
Hoc erat hoc certè toties sua lumina Phœbus  
Eripiens nostris, aut miro pallida monstro  
Obiiciens, luctus cum nobis signa futuri  
Certa daret, fraudes & operta tumescere bella  
Et magnos patriæ motus instare moneret.  
Non aliàs ima metuenda voragine tellus  
Latius auulsas ruptis compagibus oras  
Soluit, & undarum fluctus ventosq; minaces  
Eiciens tantum concussa reliquit hiatum,  
Hunc florem iuuenum vasto exceptura sepulchro.  
Tunc importuna ferali voce volucres  
Pugnarunt alis, planctumq; dedere per auras.  
Tunc genus obscœnum, belli simulachra gerendi,  
Exhibuere canes, acri sub Marte cadentes.  
Tunc etiam, cum nox terras obscura teneret,  
Quæ postrema diem matura luce reduxit,  
Committi infausto qua debuit omine pugna:  
Cornipedum fremitus, bruteq; ferocia gentis  
Hinnitus veros imitata, sonantibus aruis  
Terruit indigenas & monstro terruit hostes.  
Plura dedit luctu pavidas portenta per urbes  
Admonitrix natura mali, cladisq; secuta.  
Quæ, si fas esset, poterant monstrare sinistrum*

*Euen-*

Euentum, & versis staret nunc patria rebus.  
O pietas, & prisca fides, hunc ira dolorem  
Quæ tulit? hanc cladem seuam quæ fata dederunt  
Teutonibus ora tibi? tu viuo bellica quondam  
Principe Mauricio, tu victrix sepe fuisti,  
Nunc ignaua sedes, nunc te tua pristina virtus  
Deserit, & nullos ostentat, ut antè, triumphos.  
Visa diu nimium felix Germania plange,  
Imperij pars magna tui, spes unica rerum  
Occidit, ô quoties hunc deplorata patronum  
Ante diem, captumq; dolo perisse, querêris:  
Cum lunata gerent, (tenues eat omen in auras)  
Latrones Scythici nostros vexilla per agros.  
Tunc odium, tunc liuor iners cessabit, & ultro  
Optabunt, si non poterunt sperare nepotes  
Mauricium. Peperit præsens fastidia virtus,  
Sed desiderium paritura, vocabitur absens.  
Sunt aliqui lapsus, quos dissimulare proteruus  
Cum dolor inuidia, vel seui dira furoris  
Nesciat improbitas, valeant, nihil ista moramur  
Quæ per humum serpunt, ingratae murmura plebis.  
Quem laudant hostes, an hunc damnare, decorum est  
Subiectis populis? hunc Misnia nostra tacebit  
Cuius ad Ismarios penetravit gloria montes?  
Sint muti, quoscunq; leuis petulantia linguæ  
Armat, & hunc patriæ iuuat infamare parentem.  
Non mirum est, homines leuiter peccare, sed acri  
Peccantes morsu petere & lacerare, malignum est.  
Educat Ægyptus plantas herbasq; salubres,  
Gignendis eadem tellus est apta venenis.

Explicat

D. D. M. S. P. R.  
Explicat hic ramos Asclepias alta sequaces,  
Siccaq; frigentes producit gleba cicutas,  
Et simul exiguo mors vitaq; crescit in agro.  
Sic nihil excellit, quod idem sit criminis expers,  
Nulla caret neuo quamuis formosa puella,  
Et mala sunt cōiuncta bonis. Ubi maxima virtus,  
Insignes ibi sunt lapsus, summisq; negavit  
Natura ingenijs vitæ sine labe tenorem.  
Cur igitur prorsus vacui candore, malorum  
Condimus argutas & querimus undiq; causas?  
Cur non, quod possit culpabile forte videri,  
Fidus obumbrat amor? num diuulgare querelam  
Vnius erroris, tot fortia facta premendo  
Dissimulare, pius est? odijs urgere sepulchrum  
Quisquis es, & mutos cineres ac rodere famam  
Desine Mauricij, quem vita & fata fuisse  
Mortalem, virtus ingens & gloria rerum  
Arguit heroem, spes & secura beatum  
Cum pietate fides, superas euexit ad oras.

F I N I S.

REGIUM ACADE-  
MIÆ LIPSENSIS.

**I**N omnibus Rebuspublicis bene moratis beneq;  
constitutis mos fuit laudari eos, qui non dubita-  
runt pro libertate patriæ corpora sua bello obijcere,  
pulchramq; petere per vulnera mortem. Athenis  
quidem necesse fuit quotannis recitari contionem,  
quæ à Platone in Epitaphio exposita est. Plateen-  
ses vero, ut scribit Plutarchus in Aristide, annuer-  
saria pompa celebrarunt eos, qui fortiter dimicantes  
contra Mardonium duce Pausania occubuerant.  
Sed quid Ethnica exempla conquirimus, cum nobis  
liceat uti exemplis ecclesiasticis? Iosie laudatissimi  
principis mortem immaturam Ieremias funebri car-  
mine deploravit. Basilius non solum multos marty-  
res simul laudavit, sed etiam Gordium, Barlaam  
& quosdam alios nominatim celebravit. His igitur  
& similibus exemplis Academia permota constan-  
tissimam memoriam conseruat fortissimi Principis  
Mauricij, Ducis Saxonie Electoris, qui & beneficus  
fuit erga nostrum ordinem, & nullum officium,  
nullum certamen, in quo patriæ prodesse posset, inter-  
misit. Cum autem superioribus annis aliquoties res  
geste Illustrissimi Principis partim carmine, partim  
soluta oratione commemoratae sint, die undecimo Iu-  
lij huius anni recitabitur carmen luculentum de bea-  
ta morte optimi Principis Mauricij, cum rebus ipsis  
gratissimum, tum grauissimis verbis & sententijs  
plenum. Quamobrem mandamus omnibus, qui no-  
stram

lo ante mentio facta est, non in  
templo collegij Paulini frequentes conueniant, & vo-  
ta sua cum alijs pijs pro salute patriæ & ecclesie con-  
iungant. Prohibemus etiam seuerè discursationes  
& alia eiusdem generis, quæ vel recitationem car-  
minis, vel preces piorum quoquo modo impedire pos-  
sunt. Huic prohibitioni si quis non obtemperabit, is  
sciat sibi grauem pœnam propositam esse. Malu-  
mus autem studiosos sua sponçe facere officium, quam  
pœnarum executione in viam reuocari. Prop. Die 9.  
Iulij, Anno Christi 1564.





















































№ 2745. 8

ULB Halle

3

006 635 512




n.l.









# Farbkarte #13

B.I.G.

| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
|      |      |       |        |     |         |       |         |       |
|      |      |       |        |     |         |       |         |       |

NEERA VIRTVS.

EXVM

A

